

Giurisprudenza e legislazione rotale

- *Tribunale Apostolico della Rota Romana, Coram Salvatori, sentenza 15 marzo 2023*
con nota di
ODILIA DANIELE
Rilevanza processuale della perizia nella prova del difetto di libertà interna

Rotal Jurisprudence and Legislation

Index

ROTA JURISPRUDENCE

- *Apostolic Tribunal of the Roman Rota, Coram Salvatori, judgment of 15 March 2023*
annotated by
ODILIA DANIELE
Procedural relevance of the expert opinion in proving lack of internal freedom

Coram R. P. D. Davide SALVATORI, Ponente
Sancti Petri in Florida.
NULLITATIS MATRIMONII
SENTENTIA DEFINITIVA

Sent. 40/2023

Facti species

1. - Victor Richardus XX, actor in causa, die 6 februarii 1942 ortus et catholicus, et Bernardilla Maria YY, die 8 octobris 1951 nata, catholica et conventa in causa, ineunte mense iunio anni 2014 per v.d. “e-mail” sese cognoverunt et relationem amicabilem statim instituerunt.

Cum unusquisque longe ab alio viveret – vir in Florida et mulier in New Jersey degebat – bene cognoscere non potuerunt. Duobus solummodo mensibus transactis a primo occurso, matrimonium civilem die 14 augusti 2014 partes contraxerunt et die 23 augusti eiusdem anni quoque canonicum, quod celebratum est in ecclesia paroeciali Sancto “Secundo D’Asti” dicata, in civitate v.d. “Ontario”, intra fines dioecesis Sancti Petri in Florida. Vir viduus erat, mulier vero duo matrimonia canonica antea celebraverat quod primum anno 2009 nullum declaratum est et postea novum matrimonium canonicum iniit, quod solutum est mortis coniugis causa.

Iugalis convictus, nulla prole recreata, per spatium vix quattuor annorum productus est, etiamsi iam ab initio magnae difficultates inter partes propter utriusque indolem ortae essent. Cum conviventia perdifficilis facta sit, vir die 20 iunii anni 2018 domum iugalem reliquit et, etiamsi is permulta conamina ad restaurandam communionem coniugalem perfecit, mulier separationem thori et mensae a civili magistratu petiit et quoque divortium civile obtinuit sententia die 31 decembris anni 2018 lata.

2. - Vir recuperandae suae libertatis gratia introductorium libellum apud tribunal Sancti Petri in Florida rite competens propter celebrationem matrimonii die 4 februarii 2019 porrexit, matrimonium nullitatis suum accusans.

Tribunal unicum rite constitutum suam agnoscens competentiam, Partibus citatis muliereque conventa obloquente, dubium hac sub formula die 15 augusti anni 2019 concordavit: *an constet de matrimonii nullitate, in casu, propter exclusum bonum sacramenti ex parte viri actoris necnon ob gravem defectum discretionis iudicii in eodem viro.*

Ad instantiam partis conventae collegium trium iudicum constitutum est et dubium secunda vice die 5 novembris anni 2019 concordatum iuxta sequentem formulam: *an constet de matrimonii nullitate, in casu, propter exclusum bonum sacramenti ex parte viri actoris necnon ob gravem defectum discretionis iudicii in eodem actore.*

Per pluribus querimoniis a muliere agitatis – quibusnam revera inutiliter susceptis –, tribunal ad normam iuris summatim processit. Namque instructio causae perfecta est per excussionem utriusque partis necnon duorum testium a solo viro inductorum, americano verum modo peractam una cum per pluribus probationibus documentalibus a muliere oblatis contra thesim viri certo certius pugnantibus. At Tribunal nullam peritiam iussit neque privatam recepit, scilicet nec super partes nec super acta, qui modus procedendi certo certius non est laudandus.

Actis causae publici iuris factis, decreto conclusionis in causa lato, phasi discussoria expleta, Tribunal primi iudicii gradus die 27 aprilis 2020 tulit sententiam votis viri actoris faventem atque edicentem: *affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu, ob gravem defectum discretionis iudicii in viro actore dumtaxat.*

3. - Sententia partibus rite notificata, Defensor vinculi Tribunalis primi iudicii gradus apud Tribunal secundae instantiae appellavit, mulier vero apud H.A.T. quasdam quoque querimonias adducens et querelam nullitatis adversus praefatam sententiam petens.

Cum appellatio mulieris apud H.A.T. intra terminos peracta sit, Turnus die 5 octobris anni 2020 constitutus est. Cum causa valde contentiosa esset, Ponens decrevit unamquamque partem patronum ex officio etiam in phasi praeliminari habendam esse.

Patronis ab Exc.mo Decano pro unaquaque parte nominatis, solutis aliquibus quaestionibus praeliminaribus – de quibus mulier quoque Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae certius interea fecerat – non exclusa infundata querela nullitatis per defectum interventus partium publicarum et privatarum (cfr. analisis harum quaestionum a Patrona ex officio mulieris hac in phasi praeliminari peractam), receptis adnotationibus de merito appellationis ab utraque parte necnon Animadversionibus Tutricis vinculi H.A.T. deputatae, Turnus decreto diei 30 septembris anni 2021 causam ad ordinarium tramitem remisit, in eodem decreto statuendo formuam dubii iuxta suetam formulam diluendam esse: «An constet de matrimoni nullitate, in casu».

Novo Patrono ex officio mulieri ab Exc.mo Decano adsignato, receptis aliquibus documentis atque pensitatis quibusdam infundatis querimoniis de suspicata nullitate quorundam actuum a muliere suscitatis, instructio causae perfecta est per confectionem peritiae super actis.

Actis publici iuris omnibus hac in causa intervenientibus rite factis, omnibus de iure peragendis rite peractis scripturisque defensionalibus receptis atque commutatis, Nobis tandem hodie dubio rite determinato ac modo relato respondendum est.

In iure

4. - *De iure postulandi partis apud Rotam Romanam.* In iudicio contentioso ordinario quaelibet pars ius habet agendi atque respondendi ex se ipsa (cfr. can. 1476), nisi iudex aliter statuerit, in casu, procedendum esse. Etenim iudex, peculiaribus adiunctis in causis matrimonialibus (cfr. can. 1481 § 3), disponere potest ut pars ministerium Procuratoris vel Advocati nihilo secius habeat (cfr. can. 1481 § 1). Quo in casu pars iure postulandi caret, nonnisi per procuratorem et advocatum. Iuvat in mentem revocare quod apud Rotam nomine Patroni intelligitur tum munus procuratoris tum munus advocati (cfr. J. M. Pinna, *Praxis iudicialis canonica*, 2^a ed., Romae 1966, p. 39; A. Stankiewicz, *Praxis iudicialis canonica. Praelectiones apud Studium Rotale*, Romae 2017, p. 14, nt. 23).

Ad ius partis postulandi quod attinet, apud Tribunal Rotale res diversimode videntur a citato can. 1481, sed non totaliter, vel potius *secundum quid*, sicut infra.

Enim pars actrix apud H. A. T. caret munere postulandi, diversimode a parte conventa, quae ex se agere potest nisi aliud Ponens statuerit. Haec enim continentur in art. 53 § 2 NRRT, qui statuit: «Quolibet in processu pars actrix suum habeat patronum ab ipsa constitutum aut ex officio datum; quod, si casus ferat, Ponens ut fiat curet etiam pro parte conventa».

Hac de re Exc.mus Stankiewicz magistraliter adnotabat: «Apud Rotam Romanam pars actrix caret iure postulandi, ideoque patronum (procuratorem vel advocatum) ab ipsa constitutum vel ex officio datum habere debet. Pars conventa autem capacitatem postulandi servat, nisi Ponens aliud providerit (art. 53, § 2 NoRR)» (A. Stankiewicz, *Praxis iudicialis canonica*, cit., p. 14).

5. - *De gravi defectu discretionis iudicii.* Defectus discretionis iudicii conceptus est anthropologico-iuridicus a iurisprudencia rotali praeteriti saeculi elaboratum. Iuxta structuram actus psychologici, qui secundum anthropologiam thomisticam et christianam interpretandus est, defectus discretionis iudicii tribus elementis constat seu ad tres sphaeras actus humani pertinet vel easdem afficit et ita est intelligendus: *recta facultas cognoscitiva, sufficiens capacitas critica et sufficiens libertas voluntatis* vel, sicuti iurisprudencia eam cognominat, *sufficiens libertas interna*.

Hi sunt gressus intellectus ipsius processus electionis, sicuti psychologia thomista id bene explicavit: «Primus gressus est apprehensio veri. Intellectus inquirat omnia elementa circa actum, quem quis efficere vult. Ille indagat obiectum absolute, sub ratione veri, sed non ordinat hoc, quod apprehendit, ad opus. Unde intellectus denominatur speculativus sive contemplativus. Secundus gressus est iudicium. Hic agitur de consilio, quod consistit in quadam comparatione vel collatione unius ad alterum. Consilium est inquisitio rationis ante iudicium de eligendis. Hoc iudicium praxim spectat, atque ideo pertinet ad intellectum practicum sive activum. Tertius gressus est electio. Definit Angelicus: “Electio est ultima acceptatio, qua aliquid accipitur ad prosequendum: quod quidem non est rationis, sed voluntatis” (*De ver., 22, 15*)» (cfr. coram Huber, sent. diei 26 martii 1997, RRDec., vol. LXXXIX, p. 237, n. 5).

Notandum est quod his super tribus elementis iurisprudencia structuram actus psychologici quoad discretionem iudicii enodavit, sicuti in iurisprudencia – ni fallimur – apprime atque synthetice in una coram Exc.mo Pompedda traditur (sent. diei 25 novembris 1978, *ibid.*, vol. LXX, pp. 509-510, n. 2), quae synthesis, uti pernotum est, ab omnibus rotalibus sententiis postea recepta est, quam vero structuram iurisprudencia iugiter proponit, usque in praesentiarum: «Doctrina canonica et constans iurisprudencia affirmant discretionem iudicii considerandam esse sub tribus aspectibus: *intellectivo*, cum sufficienti cognitione ex parte contrahentis substantiae matrimonii, quod permanens consortium totius vitae est, inter virum et mulierem, aliqua cooperatione sexuali ad proles generationem ac educationem ordinatum; *aestimativo*, ut minime matrimonium in abstracto, scilicet theoretice tantum partes eligant sed per practicam perpensationem in facto esse, id est in hoc loco et cum hac persona; et *volitivo*, ut causae pro vel contra celebrationem nuptiarum a nupturientibus decernantur sine ulla interiore compulsione, quae libertatem decisionis inficiat» (coram Ferreira Pena, sent. diei 25 iunii 2019, A. 118/2019, n. 3).

6. - *Causa prae manibus hodie diiudicanda sub factispecie defectus libertatis internae.* Namque uti pernotum est, defectus libertatis internae conceptus est a iurisprudencia N. A. F. elaboratus et apprime invenitur in una coram Massimi ubi Ponens conceptum introducit incapacitatis pulsionibus internis resistendi: «Itaque planum est consensum non dari deficiente libertate interna. Ad actum verum humanum, i. e. ex voluntate deliberate procedentem, requiritur homo eiusdem actus dominus sit per rationem et voluntatem. Dominus autem non foret, si immunis non esset ab intrinseca determinatione» (coram Massimi, sent. diei 28 iulii 1928, SRRDec., vol. XX, p. 318, n. 2). Paulo post ita ratiocinatus est: «Animadvertendum quoque est minime sufficere ad excludendam libertatem probare in certa persona adfuisse internos impulsus, sed requiri ut simul probetur eisdem resisti non potuisse» (*ibid.*, p. 318, n. 3), quae verba, uti par est, maximi momenti sunt.

Hic conceptus postea aliis in sententiis receptus est et pariter elaboratus (cfr. e.g. coram Jullien, sent. diei 16 octobris 1942, SRRDec., vol. XXXIV, p. 776, n. 2; coram Lefebvre, sent. diei 9 maii 1959, SRRDec., vol. LI, pp. 245-246, nn. 2 et 4; coram Pinna, sent. diei 4 aprilis 1963, SRRDec., vol. LV, p. 258, n. 3; coram Anné, sent. diei 15 februarii 1966, SRRDec., vol. LVIII, p. 59, n. 2;

coram Lefebvre, sent. diei 21 februarii 1970, SRRDec., vol. LXII, pp. 178-179, nn. 11-12; coram Pinto, sent. diei 29 iulii 1977, SRRDec., vol. LXIX, pp. 420, n. 2; coram Stankiewicz, sent. diei 21 maii 1981 SRRDec., vol. LXXIII, pp. 279-280, nn. 5-6; coram Pompedda, sent. diei 21 novembris 1983, SRRDec., vol. LXXV, p. 649, n. 6.) usque ad systematicam analysim ab Emm.mo Card. Pompedda peractam et hoc in ordine digestam: «Iamvero tunc discretio iudicii seu maturitas iudicii deficere posse videtur, cum aliqua ex tribus sequentibus conditionibus seu hypothesisibus verificatur: 1) aut deest sufficiens cognitio intellectualis circa obiectum consensus praestandi in matrimonio ineundo; 2) aut nondum contrahens attingit illam sufficientem aestimationem proportionatam negotio coniugali, idest cognitionem criticam aptam tanto officio nuptiali; 3) aut denique alteruter contrahens caret interna libertate idest capacitate deliberandi cum sufficienti motivorum aestimatione et voluntatis autonomia a quolibet impulsu ab interno» (coram Pompedda, sent. diei 25 novembris 1978, RRDec., vol. LXX, pp. 509-510, n. 2).

7. - Sufficiens habetur *libertas interna* «cum voluntatis determinatio, quae dicitur electio, libera est ab intrinseca determinatione ad unum, ita ut possit agere vel non agere, agere unum vel oppositum ex extremis, iudicio indifferenti propositis. Deest libertas interna, si voluntas absque manifesta laesione intellectus speculativi determinatur ex eo, quod intellectus practicus nullo modo vel saltem non sufficienter motiva electionis aestimare valet. Oritur perdifficilis quaestio de motivis ex inconscia mentis activitate emergentibus. Huiusmodi motiva sine dubio inconscia motiva influunt, sed potestatem cognoscendi non totaliter auferunt. Remanet semper homini aliquid rationis liberum, etsi aestimatio motivorum inconsciorum tollatur. Ubi autem in campo psychico datur condicio pathologica, quae capacitatem deliberate eligendi perturbat, de libertate interna est actum. Hoc in contextu haud oblivisci licet libertatem humanam finitam esse et fallibilem. De facto, generis humani historia inde a suis originibus testatur homines defecisse. Etiam multae dispositiones malo libertatis usui, non libertatis defectui sunt adscribendae» (coram Huber, sent. diei 26 martii 1997, cit., p. 237, n. 5; alia profundiora elementa inveniuntur in una coram eodem Ponente, sent. diei 31 iulii 1997, *ibid.*, pp. 696-697, n. 4).

Namque iurisprudencia N. A. F psychologiam rationalem seu thomistam sequitur, quam magistraliter ita in epitomem coactam invenimus: «Intellectum sequitur voluntas, quae necessario appetit bonum ex omni parte explens appetitum, id est summum bonum. Inter plura autem bona, quae in terris habentur et quae iudicio mutabili appetenda proponuntur, voluntas libere eligit. Quapropter libertas interna prae se fert faciem negativam et positivam: altera implicat absentiam determinationis voluntatis ad unum, altera facultatem sese determinandi. Iudices Nostri Fori recentioribus annis causas defectus libertatis internae fusius ac profundius investigarunt. Iidem ea, quae a psychiatris et psychologis proponebantur, sub aspectu iuridico considerarunt et ordini iuridico aptata in provinciam canonicam admiserunt. Tamquam rationes, quae libertatem electionis graviter perturbare possint, in decisionibus rotalibus praecipue denuntiantur: status conflictualis, necopinatae violentae animi commotiones, ideae obsessivae, nevrosis anxietatis, immaturitas affectiva, pathologica motivatio, pathologica incapacitas deliberandi. Hisce in casibus contrahens non est immunis a vi interna, quae voluntatem determinet ad agendum et ad sic agendum» (coram Huber, sent. diei 31 iulii 1997, RRDec., vol. LXXXIX, pp. 696-697, n. 4).

8. - Hoc in themate ingrediendo, particularem factispeciem iurisprudencia N. F. pertractavit, id est quantum exempli gratia quis dicat se culpabilitatis sensu astrictum nupsisse (italice lege “senso di colpa”). Haec enim factispecies, quae intrinsecam determinationem postulat, similis

videtur, commutatis verbis, cum factis specie prae manibus.

Agitur in nostra factis specie de gravi defectu discretionis iudicii propter carentiam libertatis internae? Namque libertas vero electionis, «quae importat indeterminationem facultatemque sese determinandi, [...] optime stat cum impulsione, quae ex indole, ex vita acta, ex circumstantiis existentialibus, ex habitu nec non ex conceptibus tum moralibus tum religiosi promanant» (coram Huber, sent. diei 22 iunii 2010, Sancti Hippolyti, A. 108/2010, n. 3).

Ad diluendam factis speciem prae manibus, quae carentiam libertatis internae producit propter peculiare circumstantias, auxilium invenimus in una coram Arokjaraj ubi agitur de matrimonio electo propter culpabilitatis sensum. Ita enim edocemur: «Ideo problema haud leve ponitur cum quis dicat se culpabilitatis sensu astrictum nupsisse. Vulgata iam est enim distinctio inter ordinatum atque rectum, pro christianis, *sensum peccati* et *sensum culpae* seu *culpabilitatis*, qui potius ad ambitum perturbationum psyches neuroticarum pertinet. Profecto “il senso di colpa, che nasce dal Super-Io, è un elemento psicologico che non coincide affatto con la coscienza morale cristiana basata invece sul senso del peccato, sul desiderio cioè di migliorare nel rapporto di amore con Dio” (A. Bertinetti, *A immagine di Dio, cioè uomo e donna. Uno sguardo al matrimonio*, Effatà Editrice, 2009, p. 49). Lex moralis, quidem, libertatem hominis non est nata auferre, sed vindicare et roborare. “Anziché, dunque, contrapporsi alla libertà, la legge morale è ciò che garantisce la libertà, ciò che fa sì che essa sia vera, non una maschera di libertà: il potere di realizzare il proprio essere personale secondo la verità [...]. La Redenzione, restituendo pienamente l'uomo alla sua verità e alla sua libertà, gli ridona la piena dignità di persona” (S. Ioannes Paulus II, Catechesis in Audientia generali diei 27 iulii 1983, in *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, VI, 2, LEV 1983, p. 126, n. 3). Agere ergo sub sensus moralis ductu per se libertatem non supprimit, sed potius efficit et ad suum finem supremum dirigit. Atqui ubi subingrediatur psychica quaedam anomalia, vi cuius morale praeceptum in necessitatem vertatur hoc vel illo modo agendi, tunc libertas aufertur et actus etiam in se legitimus, vel praeter quamlibet axiologicam aestimationem, procul dubio iuridice inficitur, quatenus quidem agatur de actu in quo libertas est quid essenziale, sicut nempe est in matrimonio» (coram Arokjaraj, sent. diei 15 februarii 2017, *Rotterburgen.- Stutgardien*. A. 35/2017, n. 3).

His praemissis ad hanc conclusionem pervenitur: «Itaque si quis nubuit ad medendum statui peccaminoso, in quo versatur ob illicitum carnale commercium cum socio sociave fottum, valide praeterquam laudabiliter agit, dummodo impulsus moralis sensus actum eius *moveant*, non autem *causent* seu *determinent* prorsus, ablata scilicet qualibet interiore facultate ita agendi vel aliter; secus, secus. Quod sane difficulter evenire poterit dumtaxat propter receptam catholicam, quamvis strictam, educationem; inquiri igitur oportebit de quadam psychica detorsione, vi cuius merum mandatum religiosum-morale convertatur in vinculum, unde voluntas subiecti in compedibus constringatur, qualibet diversa agendi optione praeclusa» (coram Arokjaraj, sent. diei 15 februarii 2017, cit., n. 3).

9. - Factis species in num. 7 pertractata similis videtur ad illam prae manibus, sed *secundum quid*. Nostra enim factis species agitur de viduo provento in aetate qui, inventa muliere aliquorum annorum minore nata, valde amore adstricto et in statu mentis non librato, de improvviso, propter insuper angorem internum constricto, matrimonium celebrare decidit. Quomodo hoc in casu iudex discernere potest quando agitur de levi defectu libertatis internae vel quando is gravis reapse sit?

Ad adipiscendam solutionem harum rerum aptum auxilium invenimus in praefata coram Huber: «Adnotandum tamen est homini etiam tunc libertatem eligendi remanere, cum non omnes motivationes suae decisionis profundo modo perspiciat. Multae enim rationes ex inconscia activitate emergunt et in motiva conscia influunt, quin libertatem internam totaliter auferant». Quapropter ad

hanc conclusionem pervenitur: «Libertas electionis tantum deficit, si decisio contrahendi matrimonium ex motivis abnormibus seu pathologicis originem ducat» (coram Huber, sent. diei 31 iulii 1997, RRDec., vol. LXX-XIX, p. 697, n. 4). Qua de causa cordatus iudex pathologicas motivationes in eliciendo consensu in animo illius qui incapax praedicandus est inquirere debet et, his inventis, his super rebus iudicium tantummodo fundare. Uti par est, auxilium periti vel peritorum maximi momenti est iudici, sicuti lex canonica praevidenter id sancit, et quando iudex huic legi non obtemperat, talis modus agendi non est laudandus.

10. - Media probationis cuiuslibet incapacitatis psychicae sunt probationes quas Codex ipse in ordinem systematice redegit, id est partium adsertiones, probatio documentalibus, probatio testificalis, probatio peritalis, deductiones et inspectio iudicis (cfr. cann. 1530-1586). Etenim probatio per peritum accessorium non est in processu, sed probatio maximi ponderis quando Codex hoc munus praecipit (cfr. can. 1678 § 3), sicut iurisprudencia rotalis in praeterito saeculo iugiter et unanimiter docuit de causis matrimonialibus. Namque obliviscendum haud est quod «[sententiae rotales omnes] oltre al rilievo del giudizio in sé per le parti interessate, concorrono ad interpretare correttamente il diritto matrimoniale» (Franciscus, *Allocutio ad Romanae Rotae Administratos* diei 29 ianuarii 2019, in *L'Osservatore Romano*, diei 30 ianuarii 2019, p. 8).

Adest vero praxis quorundam tribunalium – sicuti *prob dolor!* in causa prae manibus – quae contra legem est, dum mos invaluit peritiam super parte aut super actis non iubendi et quoque non recipiendi. Haec consuetudo non modo non est laudanda sed quoque reprobanda, uti in praesenti casu quoad scilicet instructionem apud Tribunal primi iudicii gradus. Novus can. 1678 § 3 necessitatem utendi auxilio periti in mentem revocavit et explicite illud edicit non solum dum agitur de morbo psychico, sed etiam de qualibet psychica anomalia, ubi – iuxta veterem nomenclaturam – heic inveniri possunt tum nevroses vel psycho-nevroses tum psychopathiae, i. e. paucis, omnes graves disfunctiones mentis vel systematis affectionum quae hodie recensentur in novo DSM-5 et demum et aliae quas iurisprudencia rotalis sub factispecie gravis immaturitatis generatim recenset.

In factis

- In Decreto Turni quo appellatio mulieris admissa est et causa ad ordinarium tramitem remissa Infrascripti Patres Auditores edicebamus: «Praetereundum quoque haud est partes inter se strenue dimicare et unamquamque veritatem iuxta propriam perspectivam in processu praebere. Vir una ex parte mulierem indolem difficilem, infensam, valde exaggeratam et ita porro habuisse in sua depositione describit, more americano data. Ea, alia ex parte, etiamsi in sua depositione de indole viri bene locuta est, tamen in quadam communicatione, per thelephonium cum officiali tribunali die 7 iunii 2019 habita, elementa pro indole viri pro matrimonii militantia attulit (cfr. Acta causae, p. 43), quae elementa iudices appellati magni pretii in pensanda thesi actoris habuerunt. Demum adest modus agendi mulieris tum apud tribunal primi iudicii gradus (sicut Patrona ex officio viri actoris in lucem bene affert: “Ceterum iam in alio gradu iudicii mulier eadem mora mere dilatoria monstravit (cfr. acta causae, pp. 40-42 ac 44; 48-54; 59-60; 62; 67-68; 70-72; 75-76; 78-79), cum multis ac inutilibus expedientibus suum intentum virum ostcolandi ac laedendi”, *Restrictus*, n. 10) tum apud H.A.T. et tum apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae quae - sic omnibus pensitatis actis - congruentia cum modo agendi mulieris in matrimonio ab actore depicto certo certius congruunt. Quapropter, etiamsi partes pro opposito in iudicio certent et veritatem iuxta propriam perspectivam prebeant et etiamsi Patres aliqua elementa pro veridicitate thesi viri quoad mulierem invenerint – et quidem indirecte pro veridicitate thesi eius et de aliquo fundamento eius incapacitatis – sic stantibus

actis et quidem non univocis quoad meritum causae, impossibile est sententiam prioris gradus confirmare». Qua de causa ad hanc conclusionem perveniebamus: «Cum omnia elementa intrinsece cohaerentia non sint et potius contradictoria sub tractu ordinis psychici Patribus videantur et cum necessarium sit veritate penitus inspicere per peritiam super viro conficienda, causa ad ordinarium tramitem remittitur» (coram Infrascripto Ponente, decr. diei 30 septembris 2021, *Sancti Petri in Florida* B. Bis 111/2021, nn. 10-11).

11. - Vir actor, quando matrimonium cum conventa celebravit, in peculiari statu vitae suae degebat: viduus erat et solus. Quando mulierem cognovit, is in novum statum mentis se permutavit: felix et praesertim amorem senectute iterum invenierat. Nubes enim e vita sua de improvviso diluatae erant.

At partes distantes inter se degebant et sibi occurrerant in v.d. “website” et per spatium paucorum mensium conversationem amorosam perfecerunt ope solummodo telephonii vel interretis. Qua de causa, uti planum est, paulum sese vicissim noscere potuerunt. Revera paucissimis vicibus inter se eae occurrerunt. Mulier insuper difficultates medicas habebat et pariter in rebus oeconomicis et matrimonium cum viro quam primum celebrare cubiebat ad statum quoque meliorem perveniendum ita ait actor. Sua ex parte vir actor mulierem reapse amabat et pariter desiderio desiderabat auxilium mulieri quam citus praestare. Qua re his in adiunctis, etiamsi hae res ad aras virum revera pellerent, vir actor decisionem matrimonialem cepit.

Quod actor aliquas pressiones passum esse quando matrimonium cum muliere celebravit in propatulo est. Nunc determinandum est quantum ponderis hae circumstantiae habuerunt in libertate interna viri.

12. - Patrona ex officio viri actoris in suo Restrictu iuris et facti insistit asserendo quod immaturitas viri substantiam invenit in quibusdam circumstantiis et quidem praesertim in senectute, in amore viri adstricti erga mulierem et in pressionibus concomitantibus ad matrimonium festinandum et ita porro (cfr. *Restrictum iuris et facti*, nn. 8-15).

Alia ex parte, Peritus ex officio N. A. F., nempe Cl.mus Prof. J., nullum morbum, nullam psychicam deordinationem indolis et nullam psychicam anomaliam in viro invenit. Ille enim hac de re ita animadvertit: «non sussistono agli Atti elementi di giudizio probativi della presenza di qualche disturbo psichico o anomalia personologica nell’attore, ad esempio inquadrabile nell’ambito di un sistema di classificazione internazionale come il DSM-5». Etenim explicat quod «All’uopo sarebbero stati fondamentali e dirimenti un esame psichico diretto e l’esecuzione di test psicodiagnostici» et «Neppure si evidenziano aspetti di criticità evolutiva tali da far pensare a un’immaturità strutturale, poiché il giudizio di immaturità psico-affettiva deve poggiare sulla disamina intorno a ben precise tappe evolutive (infanzia, pubertà, adolescenza, ecc.), che non vengono adeguatamente tratteggiate negli Atti di causa». Qua re «Una accurata raccolta anamnesticca in seno a un esame diretto della parte perizianda avrebbe assolto a tali compiti clinico-diagnostici e dunque sarebbe stata auspicabile».

At certo certius praetereundum haud est aliquas res, immaturitatem psychicam viri in actis collustrantes, nihilo secius inveniri quae aliquo modo praefatam immaturitatem in lucem afferre possunt. Ita hoc in sensu Cl.mus Peritus fassus est: «Resta il dato di una circostanza esistenziale nella quale due persone si sono incontrate nelle rispettive vulnerabilità o fragilità e hanno dato origine a un progetto di vita comune intempestivo, irreflessivo, idealizzante e perciò contingentemente immaturo».

Agitur reapse de gravi immaturitate propter gravem internam fragilitatem (i.e. de gravi defectu libertatis internae) aut de simplici levitate animi? Ita Peritus ratiocinatur: «Le prove di tale giudizio si rinvencono non solo a valle dell’evento matrimoniale, quindi in effetti si sono rivelate le “difficoltà

della vita coniugale” che hanno a loro volta squarciato il velo della realtà umana dell’altro, ma anche e soprattutto a monte, in quel brevissimo spazio di tempo in cui un innamoramento adolescenziale (e dunque immaturo) ha reso entrambi i componenti della coppia ciechi (all’evidenza di ciò che avrebbero dovuto vedere) e sordi (agli ammonimenti di figure degne di fiducia e autorevoli)». At sine ambagibus Peritus hac de re adnotat: «Senza dubbio le suddette vulnerabilità, e per quanto compete alla presente perizia, la vulnerabilità attorea, restano giudizi indiziari e non probativi, resi possibili *ex postea* dalla discrepanza valoriale sulla persona dell’altro o dell’altra, in senso diacronico (tra un prima e un dopo) e sincronico (tra le divergenti versioni delle parti), e *ex antea* dall’analisi fenomenica dei comportamenti e degli atti intenzionali del XX e della YY. La vulnerabilità o fragilità psicologica del periziando si evince, dunque, per induzione di un possibile scenario interno a partire da una situazione esterna» (Summ. Alterum, pp. 228-229). Peritus ex circumstantiis gravem immaturitatem infert, sed determinandum est quantum ponderis erga iura et officia matrimonialia essentialia.

His enim ex elementis – dicebamus – Peritus deducit quod aliqua immaturitas certo certius pateat: «Le modalità, i tempi e le motivazioni della relazione prenuziale sono senz’altro in favore di un atto di immaturità psico-affettiva, ma trattandosi di una condizione psichica in cui uno stato di immaturità strutturale è indecidibile, preferisco esprimermi in termini di vulnerabilità o fragilità psicologica, che può essersi rivelata in una particolare situazione ambientale e/o in un particolare frangente esistenziale. Tale tratto potenziale di fragilità può avere influito sulla capacità consensuale dell’attore al momento delle nozze» (Summ. Alterum, p. 230/3; cfr. pp. 230-231/4).

Quae cum ita sint, etiamsi in corpore peritiae is asserit elementa structuralia actorum deficientia esse – («1. sussistono solo due deposizioni di testi ed entrambi di parte attrice; 2. la parte convenuta non ha deposto una sua testimonianza né a risposto a una serie strutturata di domande, come nel caso dell’attore, ma ha solo prodotto letteralmente Tribunale [mulier vadimonium reapse reddidit sed – proh dolor! – americano modo peractum] e vari altri scritti per lo più focalizzati su eccezioni procedurali; 3. ma soprattutto manca un esame diretto clinico-diagnostico della parte perizianda di cui, per una sentenza affermativa sulla nullità matrimoniale in base al can. 1095, n. 2 CIC [grave mancanza di discrezione di giudizio], sarebbe stato quanto mai opportuno disporre. I Giudici del Decreto del Turno, tra cui il Ponente, hanno chiaramente affermato che il metodo di non ricorrere al supporto di un esperto psicologo o psichiatra non è lodevole, poiché quest’ultimo “è di peso rilevante nella determinazione di una grave immaturità”», Summ. Alterum, pp. 223-224) – et pariter (uti supra iam relatum est) defectum structurae psychicae personologicae in viro Peritus non invenit, ex altera hic modus ratiocinandi Periti viam aperire videtur ad aliquam fragilitatem viri in actu consensus, id est quod propter peculiare circumstantias vir intrinsece coactum fuit, quae sententia cum constanti rotali iurisprudencia congruens revera non reperitur, sicuti in parte in iure iam dictum est. Haec enim sunt verba et iudicia Cl.mi Prof. J., quae – uti iam dictum est – accipi nequeunt: «Alla luce delle risultanze peritali, ritengo che l’attore all’epoca delle nozze non fosse capace di una scelta libera e matura, al punto di sostenere in modo adeguato il ruolo di coniuge, con tutti gli obblighi che il matrimonio comporta. Al netto di un’impossibilità di decidere quanto meno sulla presenza di un’anomalia del carattere o di un disturbo di personalità..., resta il dato di una circostanza esistenziale nella quale due persone si sono incontrate nelle rispettive vulnerabilità o fragilità e hanno dato origine a un progetto di vita comune intempestivo, irriflessivo, idealizzante (infatuazione, abbaglio) e perciò contingentemente immaturo. Tale situazione esterna, che ha facilitato l’emergere di uno stato interno di debolezza da una precedente fragilità, non ha reso libero l’attore rispetto a una scelta che egli avrebbe dovuto ponderare, anche prestando ascolto a figure familiari e autorevoli, in ben più consistente misura» (*ibid.*, p. 231/5).

13. - Quae cum ita sint, quid sentiendum est in casu de statu psychico viri? Ipse enim reapse intrinsece cohibitus fuit ex ipsis circumstantiis quando matrimonium cum muliere celebravit, uti Cl.mus Peritus id suspicare facit?

Responsum iam datum est in parte in iure, quando itidem dicitur libertatem internam reapse intrinsece aliquem constringere posse, quando decisio matrimonialis perficitur propter rationes pathologicas vel sub impulsionibus intrinsecis et irresistibilibus, id est propter motiva abnormia seu pathologica (cfr. supra num. 8). Ast ipse Peritus – uti apte tum RD Defensor vinculi deputatus tum Cl.mus patronus ex officio mulieris conventae eodem in sensu ratiocinantur (cfr. *Animadv.*, nn. 5-6; *Restrictum iuris et facti* n. 7 et passim) – adnotat quod «le suddette vulnerabilità [...] restano giudizi indiziari e non probativi» et hoc deducitur «per induzione di un possibile scenario interno a partire da una situazione esterna» (Summ. Alt., p. 15). Quae sententia minimi momenti non est habenda et, uti patet, peritus quoque certus non videtur de anomalia psychica vel de gravi immaturitate viri, sed solummodo cogitationes facit et illationes adducit. At iuvat in mentem revocare quod ad sententiam pro nullitate ferendam necesse est ut iudex certitudinem moralem adipiscat, alioquin in dubio standum est pro valore matrimonii sicuti hodie Patres Infrascripti censent.

14. - Quibus omnibus cum in iure tum in facto rite perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, pronuntiamus et definitive sententiamus, ad propositum dubium respondentes: *Negative, seu non constare de nullitate matrimonii, in casu.*

Oblationem iustitiae in favorem pauperum causarum partes offerre faveant, attenda causarum gratuitate in Romana Rota.

Ita pronuntiamus atque committimus locorum Ordinariis et Tribunalium administris, ut hanc Nostram sententiam notificent omnibus quibus de iure ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Tribunalis Romanae Rotae, die 15 martii 2023.

David SALVATORI, *Ponens*

Alexander W. BUNGE

Emmanuel Saturninus DA COSTA GOMES

Ex Cancellaria Rotae Romanae Tribunalis

Daniel CANCELLA, Not.

Rilevanza processuale della perizia nella prova del difetto di libertà interna

Procedural relevance of the expert opinion in proving lack of internal freedom

ODILIA DANIELE

ABSTRACT

La sentenza Coram Salvatori del 15 marzo 2023 affronta la tematica del difetto di libertà interna come possibile motivo di nullità matrimoniale, ex can. 1095, 2° C.I.C. e la rilevanza probatoria della perizia in tali cause. La pronuncia rotale esamina un caso in cui la nullità era stata dichiarata in primo grado per difetto di discrezione di giudizio causato da un difetto di libertà interna, ma senza ricorrere all'ausilio di una perizia. La Rota, rilevando tale lacuna istruttoria, rinviava la causa ad esame ordinario. La nota analizza se il difetto di libertà interna possa essere considerato un motivo autonomo di nullità, chiarendo che rientra nel difetto di discrezione di giudizio che si configura quando la decisione di contrarre matrimonio è coartata da irresistibili impulsi interni, che devono, però, essere radicati in una qualche anomalia psichica, così distinguendosi da capi di nullità simili come il metus ab intrinseco o da meri sensi di colpa. La sentenza rotale critica la prassi di alcuni tribunali, come quelli statunitensi, di emettere sentenze affermative basate su istruttorie lacunose in quanto prive di perizia. Nel giudizio d'appello, la Rota ha disposto una perizia super actis, prassi talvolta adottata per ragioni di economia processuale, ma di valore probatorio inferiore rispetto alla perizia super persona. Nel caso specifico, la scarsa consistenza degli atti ha impedito al perito di raggiungere una certezza morale e la sentenza in esame ha negato la dichiarazione di nullità proprio a causa dell'incertezza derivante dall'assenza di un esame peritale diretto dell'attore. Tale decisione è stata presa in applicazione del principio del favor matrimonii. Si è osservato che, una mancata dichiarazione di nullità per il mancato raggiungimento della necessaria certezza morale, pur rispettando il principio del favor matrimonii, possa potenzialmente confliggere con il favor veritatis e, soprattutto, con la salus animarum delle parti. In casi simili sarebbe auspicabile esperire ogni possibile tentativo per colmare le lacune istruttorie, magari disponendo una rogatoria affinché il tribunale competente per territorio incarichi un perito locale per effettuare una perizia super persona.

PAROLE CHIAVE

Nullità matrimoniale, Rota Romana, Difetto di libertà interna, Defectus discretionis iudicii, Anomalia psichica, Perizia, Processo canonico, Certezza morale, Favor matrimonii, Salus animarum.

ABSTRACT

The Coram Salvatori ruling of 15 March 2023 addresses the issue of lack of internal freedom as a possible ground for marriage annulment, according to can. 1095, 2° C.I.C. and the probative value of expert evidence in such cases. The Rota's ruling examines a case in which nullity had been declared in the first instance due to a lack of discretion caused by a defect of internal freedom, but without recourse to expert evidence. The Rota, noting this procedural shortcoming, referred the case back for ordinary examination. The note analyses whether the defect of internal freedom can be considered an autonomous ground for nullity, clarifying that it falls within the defect of discretion of judgment that arises when the decision to contract marriage is coerced by irresistible internal impulses, which must, however, be rooted in some psychological anomaly, thus distinguishing itself from similar grounds for nullity such as metus ab intrinseco or mere feelings of guilt. The Rota's ruling criticizes the practice of some courts, such as those in the United States, of issuing affirmative judgments based on incomplete investigations lacking expert evidence. In the appeal proceedings, the Rota ordered an expert opinion super actis, a practice sometimes adopted for reasons of procedural economy, but of lesser probative value than an expert opinion super persona. In the specific case, the lack of substance of the documents prevented the expert from reaching moral certainty, and the judgment in question denied the declaration of nullity precisely because of the uncertainty arising from the absence of a direct expert examination of the

plaintiff. This decision was taken in application of the principle of favor matrimonii. It has been observed that a failure to declare nullity due to the lack of the necessary moral certainty, while respecting the principle of favor matrimonii, may potentially conflict with favor veritatis and, above all, with the salus animarum of the parties. In similar cases, it would be desirable to make every possible attempt to fill the gaps in the investigation, perhaps by issuing a letter rogatory requesting the court with territorial jurisdiction to appoint a local expert to carry out a super persona examination.

KEYWORDS

Marriage nullity, Roman Rota, Lack of internal freedom, Defectus discretionis iudicii, Mental abnormality, Expert opinion, Canonical process, Moral certainty, Favor matrimonii, Salus animarum.

SOMMARIO: 1. Considerazioni introduttive - 2. Brevi considerazioni sul difetto di libertà interna - 3. Sul valore probatorio della perizia nelle cause di incapacità fondate sul difetto di libertà interna, ex can. 1095, 2° c.d.c. - 4. La soluzione adottata nella sentenza Coram Salvatori del 15 marzo 2023

1. Considerazioni introduttive

La sentenza *coram* Salvatori del 15 marzo 2023 affronta due tematiche distinte ma, al contempo, strettamente intrecciate e connesse dal punto di vista processuale. La sentenza in commento, infatti, si focalizza sul tema della rilevanza invalidante del difetto di libertà interna e sulle sue difficoltà probatorie che richiedono, imprescindibilmente, l'ausilio del mezzo di prova della perizia¹.

Nel caso giunto all'attenzione della Rota, vi era stata una declaratoria di nullità in primo grado di giudizio “*ob defectum discretionis iudicii*” causato da un difetto di libertà interna a carico dell'attore, ex can. 1095, 2°. A tale decisione affermativa si era, però, pervenuti attraverso un'istruttoria estremamente scarna, fondata solo sulla deposizione dell'attore di alcuni testi (peraltro *a solo viro inductorum*) e su delle missive indirizzate dalla convenuta - che si era, peraltro, fortemente opposta alla richiesta attorea - ma senza lo svolgimento di alcuna attività peritale.

In altri termini, si era giunti, come spesso accade con i tribunali degli Stati Uniti, ad una sentenza affermativa senza l'ausilio di una perizia *ex officio* e, nel caso, neppure di parte e senza neanche il supporto di una qualsivoglia prova documentale (cartelle cliniche, prescrizioni mediche o deposizioni di specialisti che abbiano avuto in cura le parti) volta a suffragare la veridicità delle dichiarazioni attoree². Senza volerci a lungo dilungare su questi aspetti che esulano dall'ambito della presente nota, è risaputo che i tribunali ecclesiastici Nordamericani si caratterizzano storicamente per tutta una serie di peculiari prassi processuali – che vengono definite, dalla giurisprudenza rotale, “*more/modo americanorum*”- che si discostano di molto dalle prescrizioni codicistiche e che - seppure non sempre raggiungono un gradiente di gravità tale

¹ Cfr. MANUEL JESUS CONDE, *La prova peritale e le problematiche processualistiche*, in AA.VV., *L'incapacità di intendere e di volere nel diritto matrimoniale canonico (can. 1095 nn. 1-2)*, LEV, Città del Vaticano, 2000, pp. 405 ss.; FRANCISCO JAVIER RAMOS, *I Tribunali Ecclesiastici*, Millennium Romae, Roma, 2000, pp. 448-449; CARLO GULLO, *Prassi processuale nelle cause canoniche di nullità del matrimonio*, LEV, Città del Vaticano, 2009, p. 199 ss.; ID., *Periti e Perizia*, in PIERO ANTONIO BONNET - CARLO GULLO (a cura di), *Il giudizio di nullità matrimoniale dopo l'Istruzione "Digitas Connubii". Parte Terza. La parte dinamica del processo*, LEV, Città del Vaticano, 2008, p. 427 ss.

² In argomento si rinvia a CHARLES LEFEBVRE, *De procedura in causis matrimonialibus concessa Conferentiae Episcopali U.S.A.*, in *Periodica de re morali canonica liturgica*, 59, 1970, pp. 563-592; JUAN BAUTISTA CASTAÑO, *Simplificación de los procesos matrimoniales*, *Teología y Vida*, 11, 1970, pp. 251-262; THOMAS J. GREEN, *The American Proceduræ Norms. An Assessment*, in *Studia Canonica*, 8, 1974, pp. 317-343.

da causare la nullità della sentenza - determinano, però, gravi irregolarità procedurali che rendono, come nel caso in esame, impossibile confermare “*statim*” le sentenze da essi emanate³.

Quanto detto appare, del resto, coerente con un altro principio generale del diritto canonico in base al quale la nullità di un atto è sempre da considerarsi “*res odiosa*” (si veda il can. 10 sulla identificazione delle leggi irritanti, che “*vae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum ... expresse statuitur*”, nonché il can. 14 nella sua prima parte, secondo il quale le leggi irritanti “*in dubio iuris non urgent*”), con la conseguenza che la sanzione della nullità viene riservata soltanto alle irregolarità più gravi⁴.

Detta lacuna istruttoria veniva subito rilevata dalla Rota già in sede di decisione circa l'ammissibilità dell'appello per non manifesta dilatorietà dello stesso. Rileva, infatti, il ponente con rammarico, come “*Tribunal nullam peritiam iussit neque privatam recepit, scilicet nec super partes nec super acta, qui modus procedendi certo certius non est laudandus*” (Sent., n. 2). In conseguenza di ciò i giudici erano giunti ad affermare che “*impossibile est sententiam prioris gradus confirmare*”, rinviando ad esame ordinario la causa (p. 798, n. 11)⁵.

Si era trattato di una decisione condivisibile dal momento che, scopo del filtro rispetto all'appello proposto, è proprio quello di stabilire se sia necessario raccogliere nuove ed ulteriori prove ai fini della necessaria certezza morale per dichiarare nullo il matrimonio oggetto del giudizio.

In altri termini, per ritenere ammissibile un appello, occorre verificare se l'impianto probatorio su cui risulta fondata la sentenza di primo grado impugnata sia sufficiente e, dunque, sia tale da non richiedere un ulteriore dispendio di energie processuali ai fini dell'acquisizione della necessaria certezza morale, qualora quest'ultima fosse già stata raggiunta sulla base dell'esame congiunto della sentenza di primo grado e degli “*adiunctis et probatis*” su cui essa si basa.

³ Si tratta di una prassi processuale che si rinviene ancora in diverse sentenze provenienti dagli Stati Uniti e che potrebbe essere legata al perdurante effetto culturale derivante dalle - ormai da tempo (1983) - abrogate *Norme per gli Stati Uniti d'America* del 1970. In argomento, cfr. CONSIGLIO PER GLI AFFARI PUBBLICI DELLA CHIESA, *Novus modus procedendi in causis nullitatis matrimonii approbatur pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis*, 28 aprile 1970 (originale inglese e traduzione latina), in IGNATIUS GORDON – ZENON GROCHOLEWSKI, *Documenta recentiora circa rem matrimoniale et processuale*, vol. 1, Pontificia Università Gregoriana, Romae, 1977, nn. 1380-1428, pp. 242-252.

